

fuerit, Historicum illum docuisse; nunquam enim viros designat nisi generali Discipulorum Judæ Gaulonitæ titulo; nullum itaque ex ejus silentio de nomine Herodianorum satis certum argumentum deducetur. 2. Nomen illud facile non nisi per contemptum Sectæ inditum est, quod proinde ipsi refugerent, neque Josepho scriptis prodere visum est. 3. In ejus opere de Bello designantur nomine *Zelotum*; ipsis enim authoribus ignis ille seditionis & belli Judæam exarsit, quo tota demum provincia absumpta est (r). Sed nomen illud Zelotum nunquam aded obtinuit, ut sectæ universæ tribueretur. Notissimum aliud, quo maximè vulgè appellabantur, Evangelistæ usurparunt. Opinatur S. Hieronymus in Tit. 3. floruisse adhuc in Judæa sectam, cum S.

r Joseph Anti-
quit. l. 2. c. 1.

Paulus Epistolas suas scriberet; id autem in causa fuisse censet, cur Apostolus tantâ sedulitate atque diligentia fideles tam ex Judæis quàm ex Gentibus instruendos susciperet, nequid debito in Principes sæculares obsequio deessent (s). Eodem spiritu animatus S. Petrus Apostolus [t], adversus hanc Herodianorum persuasione[m] Christi sectatores præoccupat. Porro sanctissimis illis viris nunquam exciderat è mente monitum Jesu Christi, cavendi nempe à fermento Herodianorum [u]. Tandem S. Hieronymus non ambigens quidem asseruit [x], Discipulos Judæ Gaulonitæ rogatum venisse Jesum Christum: *Licet ne censum dare Cafari, an non? Quibus Jesus: Reddite, qua sunt Cafaris, Cafari, & qua sunt Deo, Deo (x)*.

s Rom. 12. 1. 2.
& seq. Tit. 3.
1. 2. & 1. Tim. 2. 1. 2.
t 1. Petri 2. 13. 14. 15.
16. 17.
u Marc. 8. 15.

x Jeron. loc. cit. in Epist. ad Tit. 3.

DISSERTATIO DE BAPTISMO.

TRIA Baptismatum genera in Sacra Scriptura distinguuntur; Judæorum, Joannis Baptistæ, & Jesu Christi. Primum illud sacra erat cæremonia, qua se ad sanctam aliquam actionem præstandam compararent, sive maculam aliquam eluerent, sive recipiendum Profelytum disponerent. Secundum Baptismi genus homines ad obtinendam remissionem peccatorum per criminum confessionem & poenitentiam, à religio[s]â illâ cæremoniâ non disjunctas, præparabat. Tandem Jesu Christi Baptisma & remissionem criminum & justitiam atque gratiam S. Spiritus conferebat; priora illa duo Baptismata summâ quadam eminentiâ continebat, augebat, perficiebatque. Quare ut totum ejus meritum & excellentiam assequamur, abs re futurum non arbitror, si de duobus illis Baptismatibus aliquid impræsentiarum agatur, quod in hac Differtatione nostra suscipimus.

ARTICULUS I.

Baptisma Judæorum.

Purificationes, lustrationes, & baptismata usquam nullus in universo Orbe populus ignoravit; quæ enim omnium mentes tenebat de Summi Numinis majestate atque debitâ ad ejus cultum se conferentibus morum sanctitate, & puritate, idea illud continuò suggestit, ut purificationem per balnea & lustrationes puri laticis, ignis, vel thuris exigerent. Judæorum tamen in ea re gens cæteris religiosiorem se

præbuit. Quò se recipiendè à Deo Legi in monte Sinai, non sine ingentis Majestatis significatione descendente, disponeret, accedere jussi sunt à Moyse ad radicem montis, loto prius aquâ corpore pariter & vestibus [†]. Aaron, ejusque Filii non prius Sacerdotis munere fungi sunt permissi, neque sacris vestibus induti (*), quàm ut antea puro laticis corpus mundassent. Paria in consecratione Levitarum legas Num. 8. 6. 7. 8.

Maculæ omnes legales Baptismate, & plerumque etiam sacrificio eluebantur. Sordes quoque naturales virorum & mulierum, tum & communia utriusque sexus incommoda (a), veluti lepra, voluntaria sive etiam invita seminis emissio balneo mundabantur. Si quis impurum aliquod animal vivum, vel mortuum, sive impurum aliquem hominem tetigisset, eidem subdebatur legis dispositioni (b): quod etiam cautum est de illo, qui tactu victimæ pro peccatis immolatae (c), seu vaccæ die solemnem expiationis maculatæ [d], sive defuncti hominis [e], vel tandem rei alicujus impuræ contactu maculam contraxisset. Sed Baptismata illa corporis quidem, non animi sordes eluebant. Alia non fuerat ejus disciplinæ instituenti ratio; neque enim nisi ablucendis legalibus maculis sancita erat.

Hujus cæremoniæ præstandæ is erat ritus. Nudatum corpus aquâ totum immergatur; seorsum deinde lavabantur vestes; unâ simul cum vestibus se totos aliquando homines balneo infundebant. Namque & vestes sine corpore, & vicissim, nunquam abluî consuevissent, doctrina est DD. Judaicorum. Quare cum in Scriptura lavari vestes præscribuntur, lotio patitur etiam

† Exod. 19. 10.

* Exod. 29. 4. & 40. 12. Levit. 8. 16.

a Levit. 13. 6. 34. & 16. 6. 7. & seq.

b Levit. 11. 25. 28. & 22. 6.

c Levit. 6. 27. 28.

d Num. 19. 7. 8. 21.

e Num. 31. 24. & 19. 14.

corporis præscripta censenda est; sicuti vicissim cum de corpore edicit, de vestibus etiam disponere censenda est.

Baptisma, quod vocant asperisionis, vel infusionis, penitus ignorabatur; sicut & nullus fuit ejus usus in primordiis Ecclesiæ Christianæ, unice inhaerentibus fidelibus consuetudini apud Judæos, cæterosque populos receptæ. Porro quæcumque hæc fuerint Baptismata, derivata facile suspicamus è lustrationibus sive asperisionibus quibusdam sub Lege usitatis, neque in cæremoniis Paganorum ignotis, in quibus scilicet non raro totus cæterus lustrali aquâ, vel sanguine victimarum expiationis aspergebatur: *Spargens rorem levi, & ramo felicio olive*.

Ejus cæremoniæ exempla spectantur apud Moysen in consecratione Sacerdotum (f), in Festo Expiationis solemnibus (g); cum leprosus receptæ valetudinis oblationem Templo insert (h); in sacrificiis solemnibus pro peccato Principis, sive populi (i); tandem in consuetis sordibus contractis, sive cum præfens spectaretur cadaver, sive cum funera lagerentur; quæ sanè omnia asperisione aquæ lustralis, immisso cinere vaccæ rufæ mundabantur (k).

Singularis est Baptismus Profelytorum. Eo nomine censebantur apud Judæos quicumque ad eorum sacra transissent, vel saltem in regionem illorum fixas fedes transulissent. Porro posteriores illi Profelyti neque ad circumcissionem, neque ad baptismum adgebantur: modò idololatriam ejurarent, & præcepta quadam, Noemoejusque infantibus post diluvium, uti quidem opinantur Habræi, proposita, in se suscipere observanda. Appellabantur illi *Profelyti domicilii*, sicut & alii ad sacra Judæorum transeuntes, *Profelyti justitia*. Recipiendos itaque *Profelyto Justitæ* hæc potissimum servabantur. 1. Circumcissione, nisi fortè antea recepisset, uti recipere consuevissent constat Samaritanos, Ismaelitas, ac Athiopes, initiabantur: si nihil circumcissione opus, satis habebatur guttam aliquam sanguinis è loco circumcissionis educere. Aliquando tamen iteratam circumcissionem erga Samaritanos legimus (l).

Post obduam vulnus circumcissionis, Baptismate Profelytus abluabatur, quæ unica cæremonia locum circumcissionis in foeminis obtinebat. Porro aquâ partes omnes corporis tangi ita necesse erat, ut si aliqua non ablueretur, nullum esset baptismum. Reiterari cæremoniâ illam nefas, solaque immersione peragebatur. Aderant huic cæremoniæ tres Judices constituti, quorum si unus tantùm affuisset, nulla ejus baptismatis ratio habebatur. Liberi, si quos ante baptismum Profelytus genuisset, ab hereditario jure statim excidebant, nisi ipsi pariter & circumcissionem, & baptismum admisissent; ceteri verò post hæc nati Israelitæ censebantur, nec nisi circumcissione initiandi erant. Eoemina prægnantes, quæ Baptismate abluerentur, in privilegii sui consortium infantes deinde nascituros admittebant; ambo enim in

Differt. Calmet Tom. II.

cæterum Israelitarum adlecti erant.

De origine baptismatis non satis inter Rabbinos convenit; alii, uti Maimonides, è Moyse repeunt (m), remotioris antiquitatis autumans Grotius in Matt. 3. 6. obtinuisse jam inde post diluvium, in memoriam expiati per aquarum affusionem mundi, arbitratur. Sed nihil eâ de re factis expressum in Lege Moyssi univèrsa; neque Baptismo initiatum Jethro ejusque familiam (n), vel Ruth, vel Rahab, vel Achior, vel alium quemcumque ex alienigenis Judaicam professionem suscipientibus usquam occurrit. Narrans etiam Josephus de Idumæis, quos invitò ad sacra Judæorum Hircanus traduxit, de circumcissione quidem ab illis exactâ, nihil verò de baptismate refert (o).

Sunt qui autumaverint, Judæos cæremoniâ hanc suam vel è Paganis expressisse, qui Mysteriis initiandos puro laticis abstergebant; vel è Christianis, qui Religionem Jesu Christi profitentibus baptismi sacramentum unice necessarium tuebantur. Verùm & Paganorum & Christianorum nomen Judæis invisum erat aded, ut eorum disciplinam in suos mores transferre sustinuisse nunquam crediderim. Quare facilis autumaverim, ejus cæremoniæ authores fuisse Phariseos, qui post captivitatem Babylonicam plures, ultra præscriptos à Lege, ritus moreque invexerunt, & baptismus ille, quem à S. Joanne Baptista in ripa Jordanis collatum affluentibus undique Judæis legimus, satis indicat morem fuisse tum temporis in ea gente frequentatissimum.

Porro Baptisma Profelytis collatum singularibus privilegiis donant Hebræorum Doctores. Docent enim Profelytum eo ablutum, novam, calitum immisam, recipere animam, novamque substantiam suam formam induere, ut in alterum hominem tranmutetur. Ita quos necessarios ante conversionem habuit, conversus dein tamquam alienos respicit. Mancipia manumittuntur. Si natis post baptismum nullis liberis decessissent, eorum bona primis occupantibus cedebant; qui enim ante baptismum nati erant parenti filii, illi ab avitâ hereditatis jure excidebant. Uno verbo, è baptismatis lavacro emergentes, nasci iterum & ad novam emergentes vitam dicebantur (p). Quos spectasse visus est Jesus Christus, cum ad Nicodemum verba faciens, diceret, oportere eos, qui Discipuli sui fierent (*), iterum renasci. Interroganti Nicodemo, nasci iterum senex qui posset? respondit iterum: *Tu es magister in Israel, & hæc ignoras? i. e. an nescis Profelytos circumcissione & baptismate iterum nasci?*

De necessitate tamen hujus baptismatis, ejusque privilegiis non prorsus inter Rabbinos convenit. Maimonides necessarium judicat, sed necessitate præcepti, cuius ex mandato *Domus judicii* præscripta est executio. Alii verò Doctores Maimonide mihiorem doctrinam sectantur. Legitur in Gemarra (q), eos qui circumcissione quidem non baptismate initiantur, sicut vicissim qui

m Vide Lig-
foot. Hor.
Hebr. 41.

n Afferit Tal-
mud lib. de
repud. sed nul-
lum ejus dicti
argumentum
asserit.

o Joseph. An-
tiquit. l. 13.
c. 17.

p Vide Selden.
de jur. Nat.
& Gent. l. 2.
c. 2. 3. & l. 1.
e Synedr. c. 2.
d Hammond. &
Ligfoot.
* Jo. 3. 10.

q Gemar. tit.
Jakimoth. c. 4.

N

bap-

baptismo & non circumfione, Profelytos haberi potuisse; quod Patres nostri, inquit, circumfionem quidem non baptisma obtinuerint. & vicissim matres nostrae baptismo tinctae, nullâ circumfione, quam recipere non poterant, initiate sint.

Prærogativas Profelytorum pro viribus extenuare nituntur Rabini recentiores. 1. Profelytis viri alienigena macula altè imbibitur, ut ne longo quidem saeculorum tractu tollatur. 2. Omnibus quâ civilibus, quâ militaribus munitis in Israele obtinendis impares fuisse defendunt. 3. Mulieris Profelytae interdixta erant cum Sacerdote nuptiae. 4. Filii Profelyti, ex Pagana uxore geniti, de matris vitio Pagani censentur. 5. Si Profelytis aeterni Regni fores referant, in Paradisum tamen non prius recipi permitti, quam ut antea in Infernis 12. mensium spatio supplicia toleraverint; illis enim vitio vertitur, quod aduentum Messiae retardaverint, & perinde habentur quasi Scabies Israelis (r). Creditur etiam, pessimam illorum habitudinem, atque sanctionum Legis ignorantem, corruptionem in Israele invenisse.

ARTICULUS II.

Baptismus S. Joannis Baptista.

Post exactam 30. annorum aetatem in eremo, in summa vitae afflictatione atque virtutum omnium exercitio, succurrit tandem S. Joanni Baptista, ut propius ad Jordanem accedens, è regione Jericho se constitueret, tamquam novum Eliam, sese exhibens, zelo nempe & austerioris vitae imitatione (s), ac tandem ipso externo corporis indumento sanctum illum Prophetam referens. Eo igitur habitu & apparatu annunciandam suscepit poenitentiam, dicens appropinquasse iam Regnum Caelorum, nempe Messiam tantâ saeculorum expectatione desideratum, esse jam in limine. Messiam scilicet, cui Deus dedit potestatem & Regnum, & omnes populi, & Tribus & lingua servient; potestas ejus potestas aeterna, qua non auferetur, & Regnum ejus quod non corrumpitur. Adjecit, Principem saeculi mox venturum & faciem suam gentibus revelaturum. Deum populi sui criminibus provocatum in ultionem ruere, ipsamque ad radicem arboris securim positam esse. Verba sancti Praecursoris, quibus sanctissimi viri exempla & virtutes vim augebant, adè ubique Judaeos commoverunt, ut à Jerusalem & ab omni undique regione confluentes, ad recipiendum baptisma, exomologesim criminum faciendam, tum & ad recipiendas ejus institutiones venirent. Excipiebant ille omnes, monens, ut dignos poenitentiae fructus praestarent; ad Deum non simulato mentis affectu converterentur, omniumque tandem statui accommoda praecipia tradebat.

Nihil frequentius tum temporis, quam baptisma, quo in aquae fluentis immersum

corpus abluebatur: obtinebat id maxime apud Judaeos, quemadmodum etiam in superioribus demonstratum est. Quare missi ad illum Legati à Sacerdotibus & Optimatibus gentis suae, quaesituri, cujus auctoritate baptisma conferret [t]. Nihil illi interrogandum censuerunt sive de ipso baptismo, sive de ejus virtute, rati nihil à consueto apud Judaeos Baptismo differre. Fatebantur ejusdem confendi baptismatis facultatem, Christi, Eliae, vel Prophetae alicujus potestati reservari, absque eo quoddam ab alio auctoritatem illam reciperent: jus etiam in illud reservatum esse Sacerdotibus norant, quippe quos dignitatis character in tanta culmine potestatis constituisset. Quibus cum Joannes neque Christum se, neque Eliam, neque Prophetam esse fateretur ingenue, nec tandem à coetu Sacerdotum, è Sacerdotali aloqui familiâ natus, missus esset, intulerunt illi, Quid ergo baptizas? Hicce interrogationibus nil aliud reposuit Joannes, quam vocem se esse Isaiae Prophetae, clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus (x). Adjecit, se quidem aquâ baptizare, in medio vero ipsorum, ignotum licet, versari, à quo mox baptisma S. Spiritus & ignis conferretur.

Porrò baptismo S. Joannis duo erant singularia. 1. Quoddam caeremoniam illam, praecederet poenitentia, dolor nempe, & commissorum criminum detestatio, operum satisfactoria, & vitae ad meliora traditio. 2. Baptismo ablutos fateri simul criminum suorum scelera; cum enim corporis totius ablutio frequentissima esset apud Judaeos, integrum erat cuique contractam aliquam maculam simplici eo ritu abluere. Sed quæ à Joanne praestabatur lotio, perfectior erat caeremonia, quæ media inter Baptisma Judaeorum & Jesu Christi constituta ex altero ad alterum duceret, & ritum hunc Judaeorum perfectione vineeret, quamquam ab altero Christi vinceretur.

Tria hic de eodem Baptismo quaeruntur. 1. An remittendorum criminum virtus ipsa esset ejusdem baptismi Joannis praerogativa, vel tantum simplex haberetur dispositio ad Baptisma Jesu Christi recipiendum. 2. An poenitentia, quam S. Joannes annunciabat, merus esset de peccatis dolor, & aegritudo, intimus dolentis animi sensus, qui in externas actiones afflictationis & operum poenitentiae non prodiret. 3. Tandem an criminum confessio de singulis fieret, ut numerus, & culpam indoles panderetur, vel generatim se peccatorem fateri sufficeret.

Inter baptisma Joannis & Jesu Christi, magnum à SS. Patribus [x] discrimen constituitur; quod enim illud tantum promittebat, alterum exequabatur; & ad Baptisma Jesu Christi collatus à Joanne Baptismus animos hominum disponebat; sicut etiam praecipia à Joanne criminum exomologesim baptismo praemittebatur, unde ad Jesu Christi alterum via strueretur. Viam enim parasse Joannem ad Christum, ait S. Chrysostomus; id postulasse lotionem suâ

t Joan. 7. 19. 20. 25.

u Isai. 40. 3.

x Chrysol. hom. 10. & 11. in Matib. & hom. 24. primi tom. pag. 312. 313. Tertull. lib. de Baptif. pag. 260. Agebatur itaque baptismus poenitentia quasi candidatus remissionis & sanctificationis in Christo subsequatur. Vide & Ambros. in Ps. 118. n. 9. Antè igitur unamquamque animam quasi ad Baptismum S. Joannis veniit, ut praemittat poenitentiam delictorum. Vide & Ambros. Question. ad Oribod. apud Justin. q. 32. S. Hilari. ad Matib. 3. 6. Origen. in Jo. tom. 8. Regeneratio non apud Joannem, sed apud Jesum per Apostolos ferebat.

suâ Praecursores, quod non nisi, à Servatore concederetur, ait Tertullianus. Post baptisma Joannis, necessarium adhuc supererat Jesu Christi baptisma ad criminum remissionem impetrandam, ait S. Augustinus (y): Quamquam ita credam baptizasse Joannem in aqua poenitentiae ad remissionem peccatorum, ut ab eo baptizatis in spem remitterentur peccata, re ipsa vero in Domini baptismo id fieret. Et in Enchir. de Fide, Spe, & Charitate cap. 49.: Non enim renascebantur, ait, qui baptizati Joannis baptizabantur, sed quodam praecursorio illius ministerio qui dicebat: Parate viam Domino; huic uni, in quo solo renasci poterant, parabantur.

Quam verò praedicabat Joannes poenitentiam, non in solo criminum dolore constituendam esse, ipse satis insinuat illis ad Pharisaeos verbis (z): Facite fructus dignos poenitentiae, & ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham. Frustra enim haec omnia obtenditis; frustra aquarum hoc latice abluemini, nisi dignos poenitentiae fructus promatis. Qui poenitentiae fructus, nisi corporis afflictationes, jejunia, labendi in peccata discriminum fuga, opera poenalia, cilicia, accubatio in cinere, lacrymae, interdiceret sibi vitia omnia, & voluptates; hanc enim de poenitentia ideam Scriptura & Patres sufficiunt? Hicce sibi veniam criminum suorum David obtinuit (a); hicce Ninivites imminentes in caput suum ultionem averterunt (b); Esther & Mardocheus lata adversus Judaeos in tota Afluere ditone sparsos edicta suppresserunt (c). Ita ploravit Daniel crimina populi sui (d); nec aliam regrediendi ad Deum viam Joel Israelitis constituit (e). Tandem nihil aliud ingessit S. Joannes in tota vitae serie, nihil in externo corporis sui habitu praefetulit, ait S. Joannes Chrysostomus hom. 10. 11. in Matib.

Porrò homini lethaliter vulnerato non satis est ferrum è vulnere extrahere, nisi pariter opportuna vulneribus obducendis remedia afferantur. Ita pariter, ait idem S. Doctor Hom. 10. non satis est commissi antea criminis consuetudinem praecidere, sed bona malis opponenda sunt, & bonorum operum fructus promendi. Aliena diripiuntur? eleemosynas de tuo censu factis malum bono compensa; illicita admisti? abstine pariter & à licitis (f). Gemina apud alios Patres [g] legas; uno enim omnes consensu poenitentiae exercitium, non verbis tantum, sed etiam operibus & exemplis demonstrarunt. Frustra verò quis obtenderet, verbum Graecum, quo usus est Evangelista (h), aegritudinem animi & intimum doloris sensum designare; laetiori namque significatione vox illa à tota Christiana antiquitate usurpatur; quæ sanè Graecis literis non minus saltem, quam novi Evangelii reformatores callebat. Quando verò intimo cordis dolore pro commissis à se criminibus anima teneretur, non illi planè succurrit, ut de significatione vocum recogitet; sed impetum cordis secuta, commissa à se in Deum cridiffert. Calmet Tom. II.

mina exhorrescit; nec tantum sibi scelera illa ducit evitanda, sed rapitur tota in opposita virtutis exercitium. Sincera cordis conversio priorem in crimen amorem excutit omnem, scelus illud evitat, virtutem amat & justitiam, quibus excolendis assiduam exercitatione non lassatur.

Quam verò exigebat S. Joannes, criminum confessio non ita reputanda est, quasi confusa quaedam esset declaratio, qua se peccatores viri illi prodebant; neque id tantum praestabatur ab illis, ut confusa quaedam accusatione peccasse se dicerent cogitationibus, verbis, operibus, & omissione, quemadmodum pluribus Scripturibus persuasum est; sed luculenta & distincta de singulis criminibus contra Legem admissis confessio censenda est. Hanc pariter confessionem praestabant Israelitae, manum suam capiti victimarum, quas pro crimine offerebant, imponentes (i). Crimina pariter sua & aliorum Sacerdotum fatebatur Summus Sacerdos die Expiationis solemnibus (k). Qua pariter die ceteris Israelitis decies confessionem iterandam fuisset (l) docent nonnulli. Prima in pervigilio ad vesperam & ante coenam; altera succedebat primo mane; totaque deinde die odies repetebatur, ut omnes simul decem confessiones efficerent, quot pariter vicibus Summi Sacerdotis ore solemnibus illi die, Dei nomen pronuntiabatur. Generatim autem asserit Maimonides, nunquam crimen remitti, quod ipse prior criminofus ore non fateretur.

Legimus in Actis Apostolorum 19. 18. Gentiles ad Fidem venientes, ante pedes Apostolorum crimina à se commissa fateri: Multi credentium veniebant, confitentur, & annuntiantes actus suos. Suadet etiam Fidelibus S. Jacobus, ut constentur alterutrum peccata sua (m). Similem, ac apud nos obtinet, confessionem servant Judaei, cum ad mortem egrotant (n). Rudioribus quidem praescripta est generalis quaedam formula confessionis, quam recitent; ceteris verò peccata sua singillatim exprimentia. Novo in eunte anno crimina sua ita confitentur; vase nimirum aquâ pleno lavant. Formulam habent confessionis, 22. vocibus elementari literarum ordine digestam, & ad singula confessionis verba vir aliquis coram adstantis poenitentis caput in aqua immergit, simulque poenitens ipse pectus dexterâ manu plangit (o).

Alterutrum etiam crimina sua confitentur die Expiationis solemnibus hoc potissimum ritu (p). Cum duo ex Judaeis in angulo Synagoga sese receperint, alter coram altero pronus & incurvus faciem habens ad septentrionem versam, eo corporis habitu perseverat; cum interim alter supplicis dorsum cedat 39. ictibus flagello coriaceo, hæc interim verba obmurmurans Psal. 77. 38. Deus misericors, & propitius fiet peccatis eorum, & non disperdet eos, & abundavit ut averteret iram suam, & non accendit omnem iram suam. Quæ Psalmodum sententia cum 13. tantum vocibus constet in Hebraeo, ter repetenda est, quod scilicet singulis vocibus respondentes ictus

i Levit. 5. 5. Num. 5. 7.

k Levit. 16. 6. 11. l Buxtorf. Synag. c. 20. Morin. de Panit. l. 2. c. 22. 14. c. 35. 36.

m Jacob. 5. 16.

n Buxtorf. Synag. c. 35.

o Idem cap. 18.

p Buxtorf. Synag. cap. 20.

r Vido Basnag. Histor. Jud. l. 7. c. 9. art. ult. Axioma est Hebraeorum: Profelyti sunt noxii Israeli sicut scabies.

s 4. Reg. 1. Matib. 3.